

63.  
128  
Excellenti & Eruditissimo Viri,

SEBASTIANO KORTHOLO suo

S. P. D. Joannes Grammius.

Recte equidem factum, Vir excellens & amicissime,  
quod erroris me admonuisti: quem magnopere doleo  
tum temporis, cum naua festinabundus urgeret, neq[ue]  
ipse propter alia quodam negotia vacare possem  
colligendis, quae ad Te pertinentia singulari loco repo-  
sueram, admissurus esse. Nunc vero, acceptis, quas  
solita humanitate plenissimas V. id. mensis hujus ad  
me dedisti, eundem locum perquirenti illico se obtu-  
lerunt, non tantum duo illi, quos significabas, libelli,  
Tratzigeri & Heldvadeni nomina praeferentes, sed &  
tertius quidam, Diplomata Plenburgeria solutis char-  
complexus, quem & omnino ex Tuis esse potes credere.  
Istos autem nequaquam mea culpa, verum ferri mei  
negligentia, (forte quia è cumulo suo delapsi, adiac-  
centi librorum strui propius se admovissent,) omissos esse,

Jam confidenter asseverare possum, quam Tu ipse,  
Vir praestantissime, ad excusandum errorem in literis  
Tuis pro summa animi equitate Tua es promptus.  
Adeoq̄, ut puto, haud necesse est, ut in petenda  
eius venia plura verba consumam. Serenus, ut  
& hoc addam, gaudeo profecto & ex animis gratulor,  
id genus libros veterisq̄ aevi *Ἀριστοτα* in manus  
Magni fautoris Tui incidere, cujus nunquam satis  
deprecando beneficio e tenebris, quibus damnata  
jaceverunt, ad affundendam septentrioni nostrae lucem  
protrahantur. Neque enim alium esse Heroa, quem  
indicas, <sup>conspicio,</sup> quam illustrissimum illum Virum, cui res  
Gimbrica & vicinarum gentium ob duo ipsa volumina  
oppido luculenta & insignia, in tantum obstricta sunt  
in quantum patrie amor & solida historiarum cognitio  
intelligi possunt. Eius vero excellentes & uberrima  
antiquitatum notitia refertas praefationes cum lego,  
non possum non mirari, unde in amplissimo unere

temporis illi satis ad talia possit etiam, suppetere.

Filius Tuum, Vir amicissime, ad cathedram  
Theologicam in Acad. Goettingensi vocatum esse,  
jam ab illust. Pr. de Berckentin audiveram, tanta  
tuncq; eram plusquam verbis queam exprimere, non  
tantum Tua causa, (cui quidem istud honoris &  
felicitatis desideratissimum incrementum quis non  
gradularetur?) sed de publico inprimis Ecclesia &  
litteraria Republica bono, ad quod amplissime  
promovendum idem preclarissimus Tuus filius na-  
tus videtur factusq;. Paxit Deus, ut glorie illi, quam  
ex ejus virtutibus & fortuna omnes Tibi boni certa spe  
pollicentur, diu ipse felix atq; sospes intersis!  
Mibi interea, dum vixero, nihil precundius erit,  
quam coeptam optimis auspiciis amicitiam omni volun-  
tate ac studio omniq; officiorum genere, quantacumq;  
a bono viro expectare fas est, conservare. Vale.  
Hafnia ipso S. Joannis Baptista festo c1766xxxxi.